THESES JURIDICÆ
DE

INGRATITUDINE,

QVAS
DEO CLEMENTER ANNUENTE,
CONSENTIENTE MAGNIFICO JURISCONSULTORUM ORDINE,
IN ACADEMIA PATRIA,
PRÆSIDE
VIRO
Præ-Nobilissimô, Excellentissimo & Consultissimô
DN. ACHATIO CHRISTIANO RANGERN/
J. U. D. P. P. Extraord. Celeberrimô, Consist. Samb. Assessore Gravissimô,
Patronô & Doctore suô, nunquam satis suspiciendô,
Publicè disquirendas proponit
ABRAHAMUS REICH/
Reg. Pruss.
Ad diem 23. Augusti Anno M. DC. LXXXV.
In Auditorio Majori.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

VIRO

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo

DOMINO

SIMONI BEHEM,

Reipubl. Thoruniensis Consuli

Gravissimo,

Fautori suo ad bustum devotissimè colendo,

Ut &

VIRO

Nobilissimo atq; Consultissimo

DN. JOHANNI Reich/

Scabinatûs Cniphofiani Vice-

Præsidi,

Parenti suo æternùm venerando,

Disputationem hanc in signum animi, ad beneficia, unde fluunt, refluentis gratâ mente offert

Auctor.

PROOEMIUM.

INter plurima, maximaq; vitia nullum esse ingratitudine frequentius & detestabilius, nemo facilè inficias ibit. Maximum enim apud Decianum vitium audit *Conf. 686. Num. 12.* & Ciceroni omnium vitiorum mater est *lib. 8. ad Att.* multùm detestabile *Panorm. in cap. fin. X. d. donat. Menoch. Conf. 723. n. 2. Vasq. d. success. progress. in Praef. n. 3.* Ut non immeritò Persae gravissimam in ingratos constituerint poenam, putantes, ingratos hôc ipsô vitiô DEUM majorem in modum negligere *Xenoph. l. 1.* Quomodo autem DEus ingrati animi vitiô contemnatur *vid. Less. l. 2. c. 47.* ubi sex gradus adducit, quibus ingrati in DEum peccant. Non leve quoq; Respublica exinde damnum sentit, quandoquidem hominum conversationem tollit *D. Alexander d. Picolh. in Inst. moral. c. 7. in fine*, quae tamen ad omne negotium feliciter expediendum, requiritur. Ut taceam, naturam ipsam in societatem propendere, & lege divinitùs implantatam esse *Lambert. Dan. lib. 1. Polit. Christ. c. 3. Aristot. l. 1. p. 2.* Cùm igitur frequentia ingratorum exempla omnium sese oculis ingerant, nos, pro ingenii modulô, Exercitatione Juridicâ de Ingratitudine aliquid in lucem emittere instituimus, Effectûs potissimùm illius singulares, aliaq; circa eam observanda, declaraturi; DEus annue coeptis!

THESIS I.

JCtum rei alicujus tractationem suscipientem, verborum rationem primitus habere debere, monet *Ulpianus in L. 1. ff. d. J. & J. l. 1. §. 1. ff. de Pact.* quoniam verborum ministeriô

res omnes intelligimus *L. 7. §. 2. d. supp. leg.* Quamobrem, ne in leges Methodi peccemus, Etymologiam Ingratitudinis paucis explicabimus. Compositum autem est hoc vocabulum ex præpositione IN, quæ negativam infert significationem, præprimis quando in principiô nominis ponitur *Gloss. in L. Sacril. 1. ff. ad L. Jul. pecul.* & gratitudo; accipiturq; interdum pro defatigatione aliquâ, ut apud *Terent.* opus faciam, ut defatiger eousq; ingratus, ut dormiam; quandoq; pro insuavitate seu asperitate aliquâ *Plin. lib. 11. c. 2.* quinquennium est, quod prodiêre, quæ vocant laurea, non ingratæ amaritudinis; nonnunquam pro oblivione accepti beneficii *Terent. in Andr.* quam significationem nos modò amplectimur. Unde haud difficile est, colligere, quid sit Ingratitudo, nempe vitium, quod accepta beneficia non agnoscit, non meminit, non deprædicat, ut oportet. Estq; vel perfecta vel imperfecta, hæc, quæ in omnibus, illa, quæ saltem in aliquibus horum graduum peccat.

II. Oritur ingratitudo ex contemptu beneficii *Thomas cap. 27. q. 109. act. 3.* & admittitur vel formaliter vel materialiter. Formalis ingratitudo est, quando beneficium vel benefactoris animus contemnitur, ut non videaris ei obnoxius seu debitor ratione beneficii; sicuti hôc modô ingrati sunt, qui beneficium vel affectnm benefactoris sinistrè interpretantur, ne videantur ei aliquid debere, aut ne cogantur esse grati agendô gratias. Materialis verò est, quando absq; contemptu vel omittitur debitum gratitudinis officium, vel committitur quid contra benefactorem.

III. Quòd si ingratitudinis vitium considerari nequit, ubi non præcessit beneficium *Pacian. Cons. 112. Num. 31.* objectum ingratitudinis versabitur circa eas actiones, quas largitio aliqua vel remuneratio vel aliud quoddam beneficiorum genus

præ-

præcessit, quibus alter alterum sibi ratione beneficii ejus devinctum atq; obstrictum reddidit. Ideò præprimis in illis spectatur, qui naturali sangvinis cognatione juncti, meritò sibi invicem quævis humanitatis & reverentiæ officia debent. Interim tamen nemo erga Genitorem præsumitur ingratus *Menoch. lib. 4 d. præsumpt. part. 1. præf. 29. N. 2.* Idem asserit *L. 30. C. d. Inoff. Testament. & Nov. 115. c. 3.* nisi doceatur. Unde Impp. Honor. & Theodos. in *l. 19. C. d. Episc. & Cleric.* dicunt quod fœdus naturale in his nihil sævi criminis existimari permittat.

IV. Formam, ex quâ denominatur Effectus, constituimus animum hominis, quatenus occupatur vel in non retribuendis, vel prorsus spernendis beneficiis. Finem, à quô res denominatur, ponimus, ut nempe aliquis alteri ægrè faciat, tædium aliquod illi excitet, ad morem animo suo gerendum, genioq; suo indulgendum.

V. Effectûs Ingratitudinis varii sunt; quoniam autem hi alii sunt Morales & Theologici; alii, quos Jura nostra proponunt, de his, illis omissis, nobis aliquid dicendum. Et primus quidem Effectus Ingratitudinis est, quòd liberti, ob Ingratitudinem damnati, in servitutem à Patronô revocari possint *l. 2. C. d. libert. & lib. eorum l. 12. C. d. operis Libert.* quod & ad filios libertorum trahunt *Honorius & Theodosius Impp. in l. ult. C. d. libert. & lib. eor.* Licèt enim libertas semel concessa, ampliùs retractari non possit *§. 6. Inst. quibus ex caussis man. non licet;* nihilominus tamen, quoniam libertus, ingratum se exhibens, erga Patronum contra communes naturæ instinctûs, qui ei, qui benè fecit, benè velle jubet, imò & contrà ipsum jus & æquitatem naturalem delinquit, indignum se libertate testatur. Nec obstat, Justinianum *in Nov. 78. C. 5.* omnes libertinos & libertinorum conditionem sustulisse, datâ

manumissis ingenuitate; quandoquidem hoc verum est, non quoad Patronum, sed quoad cæteros & jura alia ingenuitatis; nam Jus Patronatûs integrum manet, nisi Patronus in manumissione id nominatim remiserit; minùs obstat, quòd manumissio *in Nov. 78.* restitutioni Natalium æquiparetur, natalibus autem restitutus, nec obsequium vel honorem Patrono debet, nec quasi ingratus accusari potest, & sic per Consequens nec Manumissus. Sciendum enim, pleniorem esse Natalium restitutionem, quàm manumissionem *l. 10. §. 3. ff. d. in jus vocando*, quod fusè & eleganter diduxit *Matthias Stephani ad Nov. 78.* Præterea putandum non est, Patronum ex quâlibet putativâ causâ libertum ingratum declarare posse, cùm certæ ingratitudinis caussæ in *L. 6. ff. d. agnosc. & alendis liber. & L. 2. C. de liber. & lib. eor*, exprimantur, nimirum hæ; si (1.) Liberti Patronos contumeliâ affecerint gravi, (2.) si illatâ manu atroci eos pulsaverint; (3.) si paupertate vel corporis valetudine laborantes dereliquerint; (4.) si jactantiâ quâdam cervicem adversus eum erexerint. An verò hodiè homo proprius, semel manumissus, ob ingratitudinem in pristinam conditionem trahi possit, non immeritò hîc quæritur? Affirmativa nobis placet, si nempe ex liberali voluntate in ipsum collata libertas sit; cujus tamen ratio non ex antiquô libertinorum statu deducenda, cùm proprius homo manumissione factâ non redigatur in talem statum, ut manumittentem teneatur Patronum suum agnoscere; sed ex naturâ donationis; quæ utut perfecta; ob atrocem tamen injuriam donatarii revocari potest *l. ult. C. d. revoc. donat.*

VI. Secundus Effectus Ingratitudinis est, quòd filius emancipatus in patriam potestatem ob Ingratitudinem reduci pôssit & revocari *l. un. C. d. ingrat. lib.* quô ipsô tamen non tam acquiri patriam potestatem, quam pristinam rescissâ ob ingra-

ingratitudinem emancipatione restitui statuimus *cum Donell. lib. 2. Comment. c. 24.* Fit autem hæc revocatio duabus potissimùm ex caussis (1.) propter grave convitium; (2.) ob quamvis atrocem injuriam, parenti illatam, *Hahn. in Not. ad Wesemb. Tit. d. Obsequ. Patron. atq. Parent. præstand.* quibus additur à Dd. denegatio alimentorum, quæ tamen causæ allegatæ, in factô consistentes, legitimè probari debent. Ratio autem hujus revocationis videtur esse præsumpta Patris voluntas, qui prævisô ingratitudinis casu, noluit concesšâ libertate, quasi adversùs se tela suppeditare; Sed nonne plus pœnæ involvit, si Parens istius filii curam penitùs abjiciat, eumq; pro filiô non agnoscat? Minimè; quoniam per talem revocationem multa jura, filio jam concessa, adimuntur, nimirùm quòd sine consensu Patris nuptias contrahere *pr. Inst. d. Nuptiis*, aut Testamentum condere nequeat *pr. Inst. quibus Testamentum facere non est permissum*, & alia. Hodiè cùm liberi facilè emancipati censeantur, potissimùm per contractas nuptias, quæ revocari non possunt, licèt liberi ingrati fuerint, revocatio cessat, præprimis cùm parentes ingratos & immorigeros liberos Ergastulis concredere, eosq; hâc ratione ad sanitatem mentis, humilitatem & obsequia optimô Reipubl. institutô producere possint.

VII. Tertius Effectus est, quod Parentes ob ingratitudinem liberorũ insignem, iis alimenta denegare possint *l. 5. §. 11. ff. d. agnosc. & alend. lib.* Notum quidem est, quòd Pater liberos suos alere teneatur pro modô facultatum *l. 3. C. d. alend. lib.* ita ut etiam ad talem alimentationem officiô Judicis compelli possit *arg. l. 2. C. d. t.* Alimentorum verò appellatione non cibaria tantùm; sed etiam vestitus & habitatio continetur, quin & bona institutio, ut civitati aliquando inservire possit alumnus, *Perez. ad Tit. C. d. alend. lib. n. 20. l. 4. ff. ubi pupillus educ. deb.*

Pii namq; Patris est curare, præprimis ut studiis liberalibus liberi imbuantur *Struv. Exercit. 30. θ. 87.* Propter ingratitudinem tamen insignem, quæ omne debitum naturale tollit, hæc alimentorum præstatio rectè denegatur liberis. Sicuti enim talis ingratitudo secundùm *Nov. 115.* præstat facultatem excludendi liberos à Patris hæreditate, quæ ei naturaliter ex caritate debetur, eâdem ratione ea præstat justam causam exclusionis filiorum ab alimentis paternis. Et hoc argumentum ab Exhæredatione ad debitum alimentorum in Jure nostrô procedere tradit *Joh. Baptista Pontanus Tract. de Alim. c. 5. n. 2. 3.* Id verò planè impium esse putamus, quod *Hobbes c. 9. d. civit. art. 2.* integrum reliquit matri, num infantem, recens natum, exponere velit suô arbitriô, an verò educare; quorsum enim ubera concessisset puerperis natura, nisi ut officii sui eas admoneret, omninò alendum esse infantem; imò etiamsi istam alimoniæ officinam non haberent matres, ipse tamen naturalis affectus & instinctus eas id præstare juberet, ad quod bruta naturæ impetu feruntur; Nam & aves, inquit *Lactantius, d. Opific. Dei c. 3.* quoniam fœtûs de suis corporibus alere, datum non est, cibos convehunt, & totos dies in hujusmodi discursatione consumunt, si qua ergò mulier officium id suum aut prorsùs negligit, aut infantem alienæ misericotdiæ exponit, in ipsum jus naturæ peccat, *Unde Paulus in L. 4. ff. d. agnosc. & alend. lib.* necare, inquit, videtur non tantùm is, qui partum perfocat, sed & is, qui publicis locis misericordiæ caussâ exponit, quam ipse non habet *Ziegl. in Not. ad Grot. l. 2. c. 7. §. 4. Conf. Aymon. Cravetta Cons. 199. n. 3. Hilliger. ad Donell. l. 12. c. 4.*

VIII. Quartus Effectus est, quòd ob Ingratitudinem donatio revocari possit, *§. 2. Inst. d. donat. & L. ult. C. d. revocand. donat.* Ut hic Effectus ritè declaretur, præmittendum

dona-

donationum duo esse genera, mortis & non mortis caussâ, seu inter vivos. De mortis causâ donatione circa Ingratitudinem nihil expressè disposuêre Leges. De donationibus inter vivos constat, quòd eæ perfectæ temerè revocari non possint §. 2. *Inst. d. donat.* Valet enim hîc verum illud vetus proverbium puerorum, quod etiam *Plato probat in Phœdô*, inquiens, nos equidem dicimus, ut pueri, quòd rectè datorum revocatio sit nulla; id quod adeò placuit Romanis Principibus, ut professi etiam sint, ne suô quidem Rescriptô infringi posse donationes, ritè factas *L. 9. C. d. Rev. donat. Molina de Just. & Jur. Disput. 281.* Vera tamen sunt hæc de donationibus inter vivos dicta, si donationis acceptor, qui donatarius vocatur, gratus fuerit; propter ingratitudinem enim liberrimè eæ revocari possunt *L. 1. C. d. Revoc. donat.* & quidem in totum *Struv. Exercit. 40.* ne scilicet cuiquam sit licentia & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, ut loquitur Imperator Justinianus *in L. ult. C. d. revoc. donat.* justum namq; non est, ab illô injuriam pati, cui quis beneficia contulit, cùm liberalitas donantis magis ad obsequia inclinare, quàm ad insolentiam erigere debeat. Hocq; non ob quamlibet ingratitudinem fieri potest, sed ob talem, quæ sceleri affinis & conjuncta est, quales sunt illæ, quarum mentio fit *in l. ult. all. C. d. rev. don.* Nimirum, si (1.) donatarius atroces injurias in donatorem effuderit; (2.) si illi impias manûs intulerit; (3.) si vitæ ejus insidietur; (4.) si grandem jacturæ molem substantiæ & bonis donatoris ingesserit; (5.) si conventiones, donationi appositas, implere nolit; Licet autem plures caussas non enumeret Justinianus, atq; ob eas modò, quas exprimit, revocationem donationis permittat, communi tamen nos adstipulamur Dd. sententiæ, qui negant, similes caussas ob id excludi oportere; Donatoribus porrò solis non etiam hæredibus eo-

rum

rum hæc licentia revocandi competit *l. 7. & ult. C. d. rev. don.* quia actio, quæ adversùs ingratos datur ad revocandam donationem vindictæ cujusdam, & ultionis injuriæ Effectum habet, & ideò personalis est, atq; actioni injuriarum in hôc similis, quam constat hæredi ejus, qui injuriam passus est, non dari *§. 1. Just. d. perpet. & temporal. action. Vinn. ad* §. 2. *Inst. d. donat.* Consentit Jus nostrum Provinciale Prut. *lib. 4. Tit. 14. A. 4.* §. *1.*

IX. Sequitur quintus Effectus, quòd scilicet ob ingratitudinem filiarum Pater ipsis dotem denegare possit *Harprecht. ad* §. *1. Inst. d. injur. n. 144.* Magnus aliàs est favor dotium, quandoquidem Reipublicæ interest, mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possunt *Paulus in l. 2. ff. d. Jur. dot.* cui adstipulatur *Pomponius in l. 1. ff. solut. matrim.* quando ait, publicè interesse, dotes mulieribus conservari, cùm dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamq; liberis civitatem, maximè sit necessarium. Nimirum dotis constituendæ ratio in Romanorum Rep. exindè fluxisse videtur, quòd mulierem indotatam vulgò contemptim haberi, experientia doceret, qvodq; amor mariti extingveretur, si pro oneribus matrimonii, quæ tam varia & gravia esse solent, ferendis nihil qvicqvam à Patre uxoris ipsi concederetur levaminis. Ut ergò huic malo, publicè pernicioso, remedium quæreretur, consvetudine ac moribus introducta dotandæ filiæ conditio, ex quâ deinceps mulieris intererat, ut inciperet esse dotata *l. 2. ff. d. Jur. dot.* Quod autem ad dotem præstandam naturaliter sit obligatus, probari potest ex *l. 6. ff. d. collat.* quia Pater honestam conditionem nubendi filiæ quærere debet, ne ejus pudicitia periclitetur, bonam autem & honestam conditionem facilè inveniet, si se egregiè dotaturum esse filiam suam

certò

certô promittat, ita, ut promissum sequatur realis numeratio; Paterni ergô officii est, filiam dotare, ita, ut & officiô Judicis ad hoc cogi possit *l. 19. ff. d. Rit. Nupt.* Hinc si filius famil. mutuam pecuniam acceperit, ut eam pro dote sororis daret, pater actione de in rem versô tenetur *l. 17. ff. ad SCtum. Maced.* Hanc dotationem à Parente expediendam approbat Jus Provinciale nostrum *lib. 4. Tit. 15. art. 1. §. 1.* Quòd si verò filia ingratam se insigniter testetur, illudq; legitimè sit deductum atque probatum, Pater ei dotem dare non tenetur; Quemadmodum enim propter ingratitudinem insignem legitima privari possunt; eâdem ratione & dote, quippe quæ legitimam imitatur *Harprecht. loc. supr. allegat.*

X. Sextus Effectus est, quod ob ingratitudinem exhæredatio fieri possit eorum, qui aliàs necessariò hæredes erant instituendi *Nov. 115.* Exhæredationis causas olim fuisse arbitrarias, easq; ex Judicis cognitione & æstimatione pependisse indicat *l. 7. in pr. ff. d. bon. damnat.* Ne verò istâ ratione injuria hominibus fieret, jure novô constitutum est, exhæredationem fieri non debere, nisi ex certis causis ingratitudinis, atq; cum elogiô, h. e. causæ expressione. Quatuordecim autem causæ enumerantur *in Nov. 115. c. 3.* ob quas Pater filios suos exhæredare potest, ne Parentum morositati nimiùm indulgeatur; octo verò, & sic pauciores, ob quas liberi Parentes exhæredare possunt, *c. 4.* ne liberi sint nimii morum Parentum censores. Præstat enim, ut *Aristoteles l. 1. Rhet. c. 1.* ait, quantum omninò fieri potest, legibus omnia definire, quàm Judicis arbitrio multum permittere; cùm Lex sit immota Justitiæ regula; Judex verò perversis affectibus sæpe obnoxius, qui rationem rectam in transversum abripit & obfuscat. Sed cui probatio ingratitudinis incumbit? Jure Codicis probatio hæc incumberet liberis, quâ docerent, se obsequi-

um debitum Parentibus jugiter adhibuisse, ut apparet *ex l. 28. C. d. inoff. Testam.* Jure verò novissimô probatio hæc specialiter ab hærede exigitur, non ab exhæredatô; quod approbat Jus Provinciale nostrum *lib. 5. Tit. 5. Art. 1.* §. *9.* eò quòd præsumptio sit pro unoquôq;, eum esse bonum, donec probetur contrarium, quæ præsumptio transfert onus probandi in adversarium, qui allegat & intendit aliquem esse malum. Quòd si verô testator plures exhæredationis causas expresserit, eô casu non est necesse, ut hæres probet, omnes esse veras, sed sufficit, si probet unam illarum, & ita decidit Imperator in *Novell. 115. c. 3.*

XI. Præterea acerrimè controvertunt Dd. an præter causas exhæredandi, in *Nov. 115.* allegatas, adhuc aliæ dentur? Affirmativam quamplurimi tenent, ut *Fachinæus lib. 6. controvers. c. 78. Sichard. ad Auth. Non licet C. d. liber. præterit. Scheidewin. ad Tit. Inst. d. exhæred. lib. Gudelin. de Jure Novissimò lib. 2. c. 8.* quos sequitur *Hahn. in Not. ad Wesemb. Tit. d. lib. & posth.* nec sine ratione; quia (1.) omnes casûs legibus comprehendi non possunt; (2) quia dari possunt exempla similis maleficii v. gr. si filius quidem non accuset Patrem criminis, sed testimonium contra ipsum dicat, vel advocationem exerceat. Unde etiam *Scotanus in Examine Juridicò ad Tit. de exhæredatione lib. qu. ult.* statuit plures esse exhæredandi causas, non quidem totô Genere distinctas, sed sub hisce Generibus contentas; Dissentit quidem *Molina d. Just. & Jur. Tr. 2. Disp. 175. & Giphan. ad Authenticam non licet C. d. lib. præteritis* quatuor argumentis; ad quæ tamen facilè responderi potest.

XII. Septimus Effectus Ingratitudinis est, quòd legatarii ingrati legatum relictum amittant *l. 9. §. 1. ff. d. his, quæ ut indignis*

dignis auf. Cùm enim in merâ & nudâ voluntate legata consistant, dubium non est, quin probata voluntatis mutatione ademptum censeatur legatum *l. 3. §. ult. & l. seqq. ff. d. adim. & transferend. leg.* Et hæc mutatio non tantùm expressè probari potest ex verbis contrariis; sed & tacitè ex factis benevolæ voluntatis, mutationem inducentibus, veluti si insignis ingratitudo legatarii, quæ inimicitias graves inter testatorem & legatarium operatur, intercesserit, quoniam beneficiatus efficitur hostis illius, qui contulit gratiam, & nemo præsumitur beneficium exhibere velle ingrato *Cardinal. Tusch. Lit. I. Conclus. 112.* Unde petenti huic legatario obstabit exceptio doli ex nudâ eâq; præsumptâ contrariâ voluntate *arg. l. 4. §. 10. ff. d. doli mal. & met. except.* Hùc referendæ sunt donationes mortis causâ, cum ad exemplum legatorum ferè per omnia sint redactæ *§. 1. Inst. d. donat.*

XIII. Milites omnes omninò esse, qui sacramentum dixerunt, dicit Grotius *lib. 3. c. 21. §. 15. L. unic. ff. d. Bonor. poss. ex Test. milit.* Cum quô concordat *Salmasius, d. Re Milit. Rom.*, milites propriè eos esse dicens, qui in matriculâ autoritate Principis scripti, & publicô signô vocati, armis cinctis à signis non recedere jurârunt, *L. 42. ff. d. Testament. Milit. & L. 2. ff. d. Veter.* Hujusmodi militibus insignia privilegia in LL. passim concessa videmus; quæ vel ad actûs eorum inter vivos, vel ad ultimas eorum voluntates pertinent; Unde & ultima voluntas militum, quomodocunq; ea reperiatur, valet *Princip. Inst. d. Milit. Testam. tot. Tit. ff. d. Test. Milit. L. 9. ff. d. Jur. immunit. L. ult. §. pen. ff. d. mun. & hon.* Quæ privilegia illis concedebantur ideò, quia non ob propriam, sed ob publicam utilitatem maximos labores & durissimas molestias suscipiunt, seq; morti, quam omnes naturâ refugiunt, in-

ftar victimæ objiciunt; hæcq; privilegia adhuc hodie farta, tectaq; consistere, asserit. *Nobiliss. Dn. Kupner in Differt. d. fortal.* Licèt autem à militiâ non temerè sint avocandi milites *L. 3. § 6. ff. d. Test.* non tamen privilegia eousq; extendenda sunt, ut liberè metas officii sui vel honestatis egrediantur, hinc libertinæ conditionis etiam militantes si ingrati doceantur, in servitutem procul dubiô reducuntur *arg. l. 4. C. d. libert. & eor. lib.* Non enim permittendum est privilegiis uti nocentes *Nov. 17. c. 5.* ob eandem quoq; causam ingratitudinis militem cingulô & honore militiæ spoliari posse affirmat *L. 1. ff. fin. & ibi gloss. ff. d. Obsequ. parent.* Et hic octavus est ingratitudinis Effectus; *Conf. Harpr. ad §. 1. Imper. 144.*

XIV. Nonus Effectus est, quòd Patrono ingrato adimatur jus succedendi liberto ab intestatô *l. 10. & 11. ff. d. jur. Patron.* Scilicet intestato liberto mortuo lex duodecim tabularum primùm hæredibus suis deferebat hæreditatem, si hi non fuerint tunc patrono *pr. Inst. d. Success. libertorum.* Ubi primò jus vetus Legis XII. Tabularum, secundò Prætorium, tertiò Legis Papiæ, quartò novarum constitutionum, sublatô Jure veteri recensetur, quibus diu immorari operæ pretium non est, cùm hodie vix aliquem usum habeant.

XV. Decimus Ingratitudinis Effectus Beneficium competentiæ concernit, quod debitoribus nonnullis concessum, ut non ulteriùs conveniri possint, quàm salvô statu & dignitate suâ facere possunt, i. e. ut retineant tantum ad necessaria vitæ subsidia, quantum opus habent; Unde hôc ipsô succurritur debitori contra intentatam executionem, ne scilicet alimenta ei auferantur *Carpz. in Process. Jur. Tit. 25.* adeò, ut, licèt in ipsô executionis actu per modum exceptionis opponatur, executio ista temperari debeat, donec à Judice pro qualitate

litate

sitate debitoris personæ certum quantum ei determinetur *Matth. Coler. d. process. Execut. p. 2. c. 3. n. 120.* quod beneficium ob solam commiserationem & illis competere, qui bonis cedunt, testatur *Marquard. d. Jur. Mercat. Lib. 1. C. 14. & §. ult. Inst. d. Act. l. 4. d. Cess. bon.* quando nempè ad pingviorem fortunam pervenere & conveniuntur. Gaudet beneficiò hôc & filius, *l. 17. & 30. ff. d. Re Jud.* quia Parentes liberis alimenta debent, & pietas parentum excussionem ad peram & saccum non permittit. Hocq; insigne beneficium perdunt liberi, cùm ingratos se præbent *Schrader. d. feud. p. 9. c. 4. n. 9.* Quando enim filii se non gerunt, ut filios decet, nec Parentes id observare tenentur.

XVI. Undecimus Effectus conspicitur in retractandâ acceptilatione *Schrad. l. cit.* Acceptilatio autem est liberatio civilis aut imaginaria solutio, quæ fit, quando creditor ad interrogationem debitoris, utrum debitum habeat acceptum, responsione suâ, remittit *L. 1. ff. de Accept.* Et fit vel simplici stipulatione, per quam sola verborum obligatio tollitur *§. 1. Inst. Quibus. mod. re. contrah. oblig. & L. 8. ff. d. Accept.* vel Aquilianâ, quâ quævis obligatio & persecutio prius in verborum obligationem transfusa, tollitur *L. 18. ff. d. Accept. L. 15. C. de Transact.* Per hanc acceptilationem sive totum sive pars debiti remittatur, renunciatur juri competenti, atq; ita in debitorem beneficium aliquod confertur. Hinc regulariter remittentibus jura sua non est dandus ad ea regressus, *arg. L. 14. §. 9. ff. d. ædilit. Edict.* & quod semel placuit, amplius displicere non potest. Nihil tamen obstare dicimus, quin ab illô, qui se ingratum præbuit, erga acceptilantem, acceptilationis beneficium retrahi possit *Schrader. d. feud. p. 9. c. 9. n. 9.* Idem de pactô de non petendô aliaq; liberatione, gratis factâ, dictum volumus.

 XVII. Duo-

XVII. Duodecimus Effectus est, quòd Ingratitudo legitimationem annihilet. Communiter Legitimatio favorabilis dicitur, quam largè interpretari debemus *Gail. 2. obs. 142. n. 6.* Cùm enim liberi illegitimi sine suâ culpâ sustineant ignominiam, & alias vel pœnas vel effectûs illegitimæ suæ nativitatis & quodammodò pœnas libidinis suorum Parentum, Leges cum illis commiserationem habent, & natalibus eos de facili restituunt. Legitimatio verò est actus, per quem liberi naturales fiunt legitimi §. *ult. Inst. d. Nupt. Nov. 18. c. ult. Nov. 78. c. 4. Nov. 74. Nov. 89. c. 6.* Et fiebat olim tribus modis per oblationem curiæ, subsequens matrimonium & per Rescriptum Principis; hodiè autem tantùm duo posteriores modi in usu sunt; Quando jam Pater filios suos naturales legitimat per sequens matrimonium, æquali hi jure gaudent cum liberis reliquis, ex justis nuptiis procreatis, quandoquidem matrimonium subsequens ad tempus liberorum retrahitur, & omnem maculam præcedentem tollit *c. 5. X. qui sint filii legitimi*, adeò, ut testimonium natalitium ipsis dari possit, ac si ex legitimô matrimoniô essent procreati *Carpz. p. 2. c. 6. d. fis.* Hoc autem insigne beneficium legitimationis nullum facit ingratitudo liberorum legitimatorum, adeò, ut & ob eam ad pristinum statum naturalitatis vel ad pristinam illegitimationem reducantur *Schrader. L. C. Svarez. comm. opin. lit. L. n. 103.* & habeantur pro non legitimatis *Gerard. sing. 1. n. 3. Hypp. Marsil. singul. 413. n. 3.* ubi ait, quòd æquiparentur Patronus erga libertum & Pater erga filium legitimatum.

XVIII. Decimus tertius Effectus est, quòd propter ingratitudinem privilegium exemptionis adimatur; Est aliàs Exemptionis beneficium etiam satis amplum, id quod varii ejus Effectûs ostendunt *Vid. Mev. p. 3. Decis. 130. & 152.* modô

legi-

legitimè id fuerit obtentum. Petendum enim eſt à ſummâ poteſtate, quæ ſola poteſtatem habet legem ferendi *arg. L. 1. ff. d. Conſtit. Princip.* de cujus poteſtate diſputare inſtar ſacrilegii eſt *L. 3. C. d. crim. Sacrileg.* Hinc quoq; non facilè privilegia conceſſa retrectantur *C. beneficium d. R. I. in 6tô*, niſi illi, quibus conceſſâ ſunt vitio aliquo, ea fortè coinquinaverint. Inter hos privilegiô exemptionis ſpoliandi modos & ingratitudo refertur, propter quam ingratis hoc beneficium jure adimi poſſe aſſerit *Schrader. L. C.* quia ingratitudo impedit gratiam *Marſil. L. cit. n. 4.*

XIX. Progredimur ordine ad decimum quartum Effectum ingratitudinis, qui ſe exſerit in retractu gentilitiô; Notum eſt, quòd liberi à Parentibus alienata Jure quaſi propriô ſeu proximitatis & ſangvinis ex diſpoſitione legis vel conſvetudinis, non tantùm iis adhuc vivis, ſed & mortuis jure protimiſeos revocari poſſint, quia ſatis lugubre crebrisque lacrymis deplorandum eſt, videre paternas & avitas domûs atq; antiqua majorum prædia tranſire in extraneas familias *l. 22. C. d. adminiſtr. tut. vel curat.* Quod & jure Divinô approbatum *Levit. 25. v. 25. Jer. 32. Ruth. 1. 4.* & à Fridericô in Conſtitutione de Jure Protimiſeos, ut & ſtatutis locorum & Provinciarum receptum; velut in Bavariâ *Jus Provinciale Bavar. Tit. 10. per tot.* in noſtrâ Boruſſiâ 𝔓. 𝔏. ℜ. *lib. 4. Tit. 1. art. 1. per tot.* Hoc jus filium ingratum amittere patet ex *Conſtitutione Friderici allegatâ verſ. licet autem ſupra.* Indignus enim Juris retractus beneficiô reputatur *arg. L. 37. §. 1. d. Minor. c. 14. X. de Uſu*, ſive ipſe realiter vel verbaliter venditorem Parentem offenderit, ſive per alios offendi curaverit; licèt autem cauſæ quædam ingratitudinis in allegat. Conſtitut. Frid. verſicul. recenſeantur, iisdem tamen ſimiles vel graviores ex arbitriô prudentis Judicis admittendas eſſe putamus.

XX. De-

XX. Decimus quintus Effectus ingratitudinis est, quòd propter eam Vasallo feudum auferri possit *2. feud 23. & 24. §. 1.* quod sine ratione constitutum non est; Notum namq; est, quòd Vasallus Domino ad fidelitatem sit obstrictus, adeò, ut fidelitas sit de Essentiâ feudi, quæ nec pactô remitti potest *arg. L. 9. §. 3. ff. ad exhib.* Quando jam Vasallus hanc fidelitatem omittit, indicat se feudum amplius habere nolle, quapropter jure meritô id à Dominô aufertur; Causæ autem ingratitudinis variæ afferuntur â Feudistis, quæ consistunt vel in committendô vel in omittendô *Rosenthal. c. 10. conclus. 1.* In committendô, quando Vasallus Dominum factô improbô graviter offendit h. e. vel injuriis realibus, vel gravibus verbalibus, sive per se, sive per alium; An verò Vasallo feudum auferri possit, si manum saltem quasi percussurus levavit, non tamen percussit, admodum controvertitur? Et licèt quidem injuria hæc quædam sit per *L. 15. §. 1. ff. d. Injur.* non tamen tantæ atrocitàtis esse videtur, ut propterea Vasallo feudum sit auferendum *Schnobel Disput. feud. 10. Th. 8.* In omittendô ingratitudo consistit in hôc, v. gr. si justô tempore renovationem investituræ petere neglexerit *1. feud. 22.* si requisitus servitia præstare noluerit, de periculô, quod personæ vel bonis Domini imminere scit, Dominum cùm posset, non maturè certiorem reddiderit, peccatur enim & his in casibus contra fidem, semel datam. Probanda autem est, antequàm feudum aufertur ingratitudo, quippe quæ in factô consistit; Ubi notandum, quòd, licèt in ore duorum & trium consistat omne verum, nihilominùs tamen circa privationem feudi ad ingratitudinem probandam præcisè quinq; testes summæ & integræ opinionis requirantur *2. feud. 57. Gail. 2. Obs. 167.* Unde sequitur Vasallum ob commissam ingratitudinem non ipsô jure, sed, sententiâ latâ, feudum amittere *1. feud. 21. 2. feud. 57.*

XX. Tan-

XXI. Tandem Dissertationi huic finem imponentes, ut multa paucis complectamur; ingratus & jus & nomen tam filii, quàm Patris, nec non jus sepulturæ paternæ amittit. Amor enim, nisi foret ingratitudo, esset invictissimus, quæ sola amorem vincere, extingvere ac evellere potest. *Ascan. Clem. C. V. n. 67.* Ob eam quoq; militem cingulô privari, Doctorem degradari, Advocatum salariô suô privari, Clerico beneficium eripi posse tradit *Marsil. sing. 413.*

Pro limitatione prædictorum omnium notandum est, quòd per reconciliationem omnimodam tollatur ingratitudo, quæ inducitur per pœnitentiam subseqvutam & per gratitudinem supervenientem.

INgratæ mentis vitium est consumere sumptus,
Quos largâ pietas mente paterna facit,
Et trahere ignavam captata per otia vitam,
Nec specimen studii ponere forte sui.
Ingrati crimen declinas, quando politâ
Ingratis lingvâ debita jura doces.
Sic *gratum* patriæ, sic *gratum* utriq; Parenti
Te, Reichi, præbes, juridicoq; foro.
Propterea & *grato* Tibi Patria *grata* datura
Est quondam, studiis munera *grata* tuis.

Quod Nobiliss. Dno Disputationis hujus Autori, & Auditori suo hactenus admodum industrio, feliciter præsagiens, precatur

PRÆSES.

SO wilst du/ wehrter Freund/ noch vor dem Abschied weisen/
Wie dich Undanckbahrkeit noch nicht besieget hat?
Dein durch-aus-klug Papier das zeuget Blat auff Blat
Was an dir künfftig muß der Neid-hart selber preisen:
Dein Wachen Tag und Nacht/ dein Lesen/ Schweiß und Reisen/
Dein unermüdter Fleiß/ und wodurch in der Welt
Die arme Menschligkeit das höchste Gut erhält/
Legt keine frembde Macht zu ihrem Dienst in Eisen;
Nein! Nein die Frucht hievon soll GOtt/ Fürst/ Vater-Land
Bey Sturm und Sonnen-Schein/ bey Krieg und Friedens-Stand/

Von

Von deiner Danckbahrkeit zu seiner Zeit geniesen;
Drumb wenn die Zeit ohn Danck die Welt und alles fällt/
So wird dein Ruhm zum Danck den Sternen zugesellt:
Weil du von Undanck hast so woll zu schreiben wissen.

Diese wenige Zeilen hat dem Hn. Authori und Respondenti dieser Disputation, seinem höchstgeliebten sehr wehrthen Freunde/ zu schuldigen Ehren wolmeinend so willig als schuldig beyfügen müssen

J. S.

DIvitis ingenii dum profers dogmata Reichi,
Divitis egregium nomen & omen habes.
Dumq; animi exponis solidè quæ commoda grati,
Teq; Tuamq; manet gratia multa Domum.

Pauca hæc Nobiliss. Domino Autori Amico suo dilectissimo in sinceri affectûs tesseram addit

GEORGIUS PRUSZYCKI, Reg. Pruss.

QVid jure possis, arte vel arduâ
Docti Cleanthis, discupis edere,
Dilecte Reichi, Stirpis ingens
Gloria, famaq; Spes Parentum.
Belle! ministrum fulminis alitem
Impressa virtus non secus allicit
Ad magna commonstrante nisûs
Insolitos patrio vigore.
Celata virtus nomen inertiæ
Fœdum meretur. Tu bene pulpita
Conscendis indignante frustra
Invidiæq; fremente dente.
Felix sit ausum, quod movet insita
Virtus & usus procreet uberes,
Ne nocte non exemtus atrâ
Sidera vertice fulva tangas.

Hæc pauca ex animo amicissimo Nobilissimo atq; Doctissimo Dno Respondenti Disputat, hujus Auctori apprecari voluit

JACOBUS BEHEM Thorun. Prussus,
Phil. & Juris Stud.

):(o):(